Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Erat enim Chlothario sollers in amore sapientie. Inuentum quoque munus gratificabat optatum. Morante ergo eo apud Chlotharium lis orta inter Theudebertum et Theudericum disceptantibus utrisque de regni termino. Ipsi quoque legatos ad Chlotharium dirigunt, uterque ad usum parem auxilium postulat. Quod Clotharius beato Columbano insinuare procurat, consultans ut si uideretur ei se uni consentiendo contra alium dimicare deberet. Ad quem ille prophetico repletus spiritu ait: Neutri te fore dico parere consiliis. Tuam intra triennium ditionem utrorumque regna uenture scies. Videns Clotharius a uiro dei talia sibi prophetico ore dici, neutri parere uoluit, sed promissum sibi tempus fideliter expectans, postposito triumphi uictorie.

Post hec egit Clotharium uir dei ut sibi solamen largiretur, ut per Theudeberti regnum si ualeret ad Italiam Alpium iuga transcendi perueniret. Datis ergo comitibus qui eum usque ad Theudebertum perducerent, tunc arrepto ad Parisius urbem peruenit. Quo cum peruenisset occurrit ei homo in porta habens spiritum inmundum debachans ac discerpens et garrulans querulo sciscitatur uirum dei affamine: Quid hic uir dei agis in locis? Raucoque anhelitu a longe uirum dei Columbanum aduenire dudum iam clamitabat. Quem cum uir dei audisset ait: Egredere pestifer, egredere nec corpora que lauacro abluta diuino obsidere presumas. Cede uirtute dei et Christi nomine inuocato contremisce. Sed cum diu seuus artusque uiribus obstaret, uir dei manum ori eius inicit, linguamque adtrectans in uirtute dei imperans ut egrediatur. Tunc horrida uis demonis discerpens eum ut uix nexibus teneretur cum uiscerum motione ac uomitu moto progressus tantum fetorem adstantibus dedit, ut sulphureos se crederent facilius tolerare odores.

Deinde ad Meldense oppidum properat. Quo quidam uir nobilis Chagnericus Theudeberti conuiua, uir sapiens et consiliis regiis gratus et nobilitatis sapientia uallatus, is uirum dei miro gaudio recepit, seque habere curam spopondit, quatenus ad Theodeberti accederet aulam, non esse necesse alios comites egregio latere habere. Ad hoc enim aliorum differebat subsidium, ait, uirum dei secum quamdiu ualeret teneret, ut eius doctrina domus sua nobilitaretur. Benedixit ergo uir dei domum eius, filiamque eius nomine Burgundofaram, quam infra infantie annos benedicens uouit, de qua postea in subsequenti narrabimus libro. Progressusque inde uenit ad uillam quandam Uulciacum que super amnem Matrone sita est. Ibi receptus a quodam uiro Authario nomine, cuius coniux Aiga dicebatur. Erantque his filii intra infantie annos detenti, quos mater ad benedicendum uiro dei obtulit. Videns ille matris fidem infantulos sua benedictione sacrauit. Qui postmodum ut pubescere ceperunt regi Chlothario primum ac deinceps Dagoberto gratissimi sunt habiti. Qui postquam seculi gloria fuerunt illustrati, anhelare ceperunt ut per gloriam seculi non carerent eterna. Quorum maior

natu Ado nomine semet suis uoluntatibus abdicauit, postquam intra Iotrani saltus monasterium ex beati regula Columbani construxit. Tanta in eum dei gratia redundauit, ut quicumque sacre uite in boni cultus perseuerantia dies suprema inuenit. Illud oppido iure dictum sit, ut quis de industria monuit gauisi sunt se postea inpunitate meruisse. Nec inmerito tanti uiri fultus adminiculo, parte gratie potius est supplementum, que ei ei doctrinis ingerere noluit a iustitie uite tramite deuiare.

Deinde ad Theudebertum uenit. Quem cum Theudebertus uidisset, ouans suis sedibus recepit. Iam enim multi fratrum per eum ex Luxouio uenerant, quos uelut ex hostium preda recipiebat. Pollicitusque est Theudebertus se repperisse intra suos terminos loca uenusta et famulis dei ad omnem oportunitatem congrua, proximas ad predicandum nationes undique haberi. Ad hec uir dei inquit: Si pollicitationis tue adminiculum prebere, et uadimonio falsitatis nexum non opponeret quantisper se moraturum ac probaturum si in cordibus gentium uicinarum fidem serere ualeat. Dedit ergo optionem quacumque in parte uoluisset, ex proximo quereret locum qui sibi et suis placuisset. In quisitum locum quem fauor omnium reddebat laudabilem intra Germanie terminos, Reno tamen uicinum oppidum olim dirutum quem Brigantias nuncupant. Sed quid tamen uir dei dum per Reni alueum nauigaret quod actum sit non est silendum. Dum quadam die per Reni alueum uir dei cum suis scafa ueherentur, ad urbem quam Moguntiacum ueteres appellarunt peruenerunt. Quo cum uenissent remiges qui in comitatu uiri dei a rege directi fuerant, uiro dei aiunt se habere amicos in urbe qui necessarios sumptus preberent. Iam enim defecerant longo itineris dispendia sumptuum. Quibus uir dei ait: Ite. Qui cum abissent nichil inuenerunt. Reuersique et a uiro dei interrogati, respondent se nullatenus impetrare ab amicis aliquid potuisse. Ad hec ille: Sinite inquit me paululum ad meum abire amicum. Mirantibus illis unde illo in loco quo ante non fuerat amicum se habere dicebat, progressus ille ad ecclesiam pergit. Quam ingressus pauimento inherens longe orationis prece dominum sue pietatis postulat auctorem. Nec mora episcopus urbis illius domum egressus ad ecclesiam tendit. Repertumque beatum Columbanum sciscitatur quis sit. At ille fatetur peregrinum se esse. Cui ille si inquit necesse est sumptuum copiam cape, propera domum et quantum necesse fuit tecum defer. At ille tum gratias simul conditori qui inspirauerat et illi qui optatam necessitatis copiam offerebat referre, adtentius ille cogit ac imperat ut omnia oportuna sumat, puerosque festinos ad nauim ipse dirigit, ut omnes ueniant post custodem uini directi missum et queque uellent secum deportent. Quod ne cum hoc uenisse cause uideatur, nam solitus erat postea isdem episcopus protestari numquam se antea sic attonitum in tribuendo necessaria fuisse, et sic absque oportunitate ob beati Columbani meritum diuina monitione ad ecclesiam uenisse. Ad desti